

piat cum alui lubricitate aut vomitione.

Vacuare licebit leniente medicamento in mali principio, potissimum si materia mali fuerit furiosa, & modò non fiat à sanguine peccante sua copia; tunc enim potius fiet venæ sectio moderata. Cùm autem rarius hoc malum ab vno fiat humore peccante (solent enim omnes ferè putrefacti in ipsis febribus pestilentialibus, atque incendi; aliis humor tamen magis alio) contingit non modò continuas febres pestilentiales fieri, sed etiam intermittentes propterea generantur pestilentiales; ideo pro ratione humorum peccantium purgatorium prescribatur quod conueniat medicamentum. Nullo autem modò fortioribus utemur medicamentis soluentibus, ne humorum exagitatio fiat & ebullitio, quæ h̄ic s̄æpe fit, haud aliter atque vinum perturbari solet in diebus canicularibus.

#### A VERTENTIBVS.

Vomitus conuenit multum ab initio, si ventriculus multum cibo repletus fuerit, humorēsve maligni in eo fluctuant.

Cucurbitulæ hirudinēsve cruribus, humeris, natibus aut dorso, iisque locis vbi bubones emergere solent, affigentur cum scarificatione, & potissimum hoc fiet, si venæ sectio fieri prohibeatur; contingit equidem s̄æpe hoc medio humores venenatos sic trahi ad locū vbi spes est bubonem emersurum; multum autem sanguinis educemus. Tuberculis quoque erumpentibus admouenda erit cucurbitula magna, vt à corde avertatur vis veneni, & ne intrò rursus se subducat, quod s̄æpe fit.

Sudores promouendi sunt statim vbi venæ sectio facta fuerit; hos enim natura s̄æpe per se, tertio quarto igit̄ die excitare solet, fiet autem cum decocto petasites, cardui benedicti, scabiosæ.

E X P E L L E N T I B V S pestis seminaria, vimque venam  
humorūmque malignorum agitationem  
impedientibus.

G g